

1891

## TUM DANTIBUS QUÆSTUM MERETRICIUM.

aliorum necessitatibus consulere, & utilitatibus velificari potest  
sui ipsius incuriosus? Aliorum igitur gratia se ipsum quoque  
servare convenit: Ut adeo non tantum sibi iniqui existant,  
sed in alios etiam injuriosi, qui sui cotam gerunt nullam, nec  
qua ratione vitam suam protrahant, quicquam pensi habent.  
Sed uti studio sui omnibus omnino viribus incumbendum est;  
sic animus etiam uniuscujusque officii & honesti sensu ac amore  
ante omnia imbuendus, & ad commode tolerandam vitam  
socialem formandas: Ut libido subeat neminem, se ipsum  
cum aliorum malo & incommodo servandi. Quod fieri nequit,  
nisi amor sui intra cancellos honestatis coercentur, caveaturque  
sedulo, ne quis sui unius fautor, aliis vel molestus, vel noxius  
evadat. Quapropter tempestivè certum aliquod & honestum  
vitæ genus eligendum est, unde quisque alimenta sibi ad vitam  
transigendam necessaria querere & parare queat. In eo enim  
homo tanquam præstantissimum Deoque charissimum animal  
a cœteris animantibus distat, quod hæc ex captu vivant, & sine  
discrimine honestatis vel turpitudinis ea, quæ sibi sunt necessaria,  
querant: Homo vero honestis mediis citra aliorum damnum  
vel injuriam se sustentare satagit, turpia vero vivendi media-  
cane pejus & angue aversetur ac fugiat. Imo uti nemo bonus  
turpi quæstui inhibet unquam, ita lucratur quæsita possessio-  
ribus suis invident jura, quippe quæ nec ad hæredes per ventura  
voluerunt. L. 5. pr. ff. d. Calumniat. Inter eiusmodi lucra  
turpia jure optimo referendus venit, quem examini nostro sub-  
jicimus, *Quæstus meretricius.*

Ut vero indeoles hujus quæstus eo melius nobis innotescat,  
subjectum recipiens, à quo denominatur, necessario excutien-  
dum erit. Istud autem cum primis constituunt *meretrices*. Quæ  
nam igitur meretrices dicantur, ex jure non adeo difficile est de-  
terminare: Quippe in quo meretrix propriè audit ea, quæ pa-  
lam quæstum facit, L. palam. 43. pr. ff. derit uupt. Palam  
autem quæstum facere dicitur, quæ se passim sive sine delectu  
omnibus vel pluribus committit, d. l. 43. S. 1. ff. de R. N. add.